



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses**

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici  
hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent,  
vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

**Stapleton, Thomas**

**Lvgdvni, 1595**

26. Vt quid timidi estis modicæ fidei?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39463**

Christus sibi vendicat, & tamen illis hanc potestatem datam fuisse Caluinus agnoscit, ut sciret populus totam suam munditatem eiusq; iudicium pendere à sacerdotio: profectò falsum erit quod postea hoc loco Caluinus subiungit, & omnes hodie hæreticorum scholæ sustinent, ex Christi mandato suam peccatoribus munditatem pronūciare Euangelij ministros. Iam enim inuenit ipse Caluinus, non vnum Christum sibi vendicare quicquid honoris antiquis sacerdotibus datum erat, sed omnes Euangelij sui ministros hoc honore, idque ex Christi mādato, gaudere, quod suam peccatoribus munditatem pronunciant: qui sanè honor antiquis sacerdotibus in figura tantum datus erat, circa lepræ munditatem pronuncian-dam. Cæterum non vnum Christum omnem sacerdotalem honorem sibi vendicare, sed pro sua dignatione & perpetua Ecclesiæ conseruatione, sacerdotibus Euangelicis magna ex parte impariisse, tota SS. Patrum antiquitas contra impiū Galuinum docet. Vide illorum verba in Promptuar. Cath. in dom. in Albis. Vnus Chrys. apertissimè loquitur. Pater (in Libr. 3. dequit) omne iudicium dedit filio: sed hoc totum video à Dei sacerdotio, lio sacerdotibus traditum. Hæc ille.

## 26. Ut quid timidi estis modica fidei?

**O**bseruatione dignum est hoc loco, agnoscere necessariò Caluinum quemlibet timorem non esse fidei contrarium, & fidei defectum non quolibet timore coargui, sed ea formidine que conscientia pacem turbat, ut non recumbat in Dei promissiones. Hæc enim confessio certitudinem fidei, quam perpetuò docet, adeo refellit, ut proprieà in Institutione sua, vbi totam hanc doctrinam accuratius pertractat, certitudinem quam ponit omni timore vacuam ab omni trepidatione & dubitatione liberam statuat, lib.3. cap.2. Quem etiam in finem Scripturas omnes quæ ad timorem nos hortantur, egregiè deprauat, & nihil aliud quam reuerentiam filialem nos docere disputat. Vide opus nostrum de Iustificat. lib.8. cap.26. & 27. Sanè idem Caluinus sibi cōtrarius infra de muliere, quæ fluxum patiebatur. *Quia* videns quod non latuit, *venit tremens,* & cecidit ad pedes Iesu; dicit Caluinus, quod talis trepidatio fidei contraria fuit, & excusatione carebat. Sic tractat Scripturas Caluinus, non ex sacra veritate quam illæ tradunt, sed prout ipsi & causæ præsenti commodum est.

Certitudo  
fidei Cal-  
uiniana  
refellitur

*Ad Luc.*  
cap.8.  
vers.47.

IN